, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Fest. Epiph.

com. Ep

com. sequ.

com.

27 Sabb

[illegible]

10 / 15 c / 15

50
50

Ausgeschnitten
und nicht fort-
gesetzten

INSIGNIA ERVDITÆ PALLADIS, IN PALMARE DECVS

Docto certamine Victoribus;

XIII. VV. DD PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS,

post eruditum agonem,

dum per

Clarißimum & Excellentißimum Dominum,

D. M. JACOBUM SARNECKI,

Philosophiæ Doctorem, Ejusdemq; Regium Professorem, Collegam Majorem, S. R. M. SECRETARIUM.

Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei;

RITV SOLENNI CREARENTVR.

Ornante Nobilissimorum Hospitum, & Ordinum Academicorum Corona;

In Generali Regni Palæstra,

in vim Applausûs Congratulatorij

Concentu Metrico

Ab Ejusdem Laureæ Candidato,

ADALBERTO, DOMINICO ANDLIKIEWICZ, Crac:

DISPARTITA.

Anno quò Increata Sapientia in terris victrix triumphavit,

M. DCCXIV. Die 24. Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne,

Magnifici, Perillustris & Reverendissim

DOMINI



I.

- - - Pugnant virtute LEONES. *Ovid:*

II.

Compertum campis alios regnare LEONES. *Stat: lib:* [illegible]

In Cracio doctos Hic regit Orbe Viros.

III.

Iste LEO Patriam, Doctorum exornat & Orbem

Et Cæli posset, condecorare Polos.

IV.

Sole igitur dominante simul dominante LEONE. *Pontanus.*

Quovis succumbent invida fata die.

MAGNIFICO PERILLVSTRI,

&

REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MARTINO WĘGRZYNOWICZ,

S. Th: & I. V. Doct: & Profess:
PROTONOTARIO APOSTOLICO,
Ecclesiarum, Cathedr: Craco: CANONICO,
Collegiatarum, Kielcensis CUSTODI, Pilecensis
ARCHIDIACONO, in Tczyca PRÆPOSITO, Cōtubernij
Philosophorum PROVISORI, S. R. M. SECRETARIO,
Almæ Universitatis Cracoviensis
GENERALI ac VIGILANTISSIMO

RECTORI.

DOMINO MECÆNATI AMPLISSIMO.

IN cujus tornatili dextera, summo suo ornamento Rectoralia Sceptra jucundantur, ad ejus plantas, Pallas propria deponit insignia, in trophæum immortale Tibi cessura, cui tantus in omnium animis triumphus, & ex quavis culta, factorum arenaria, opima messis. MAGNIFICE DOMINE RECTOR. Magnitudinem namq; animi & meritorum Tuorum, cum nec Vavelli Corona, nec literatæ Majestatis Sceptra exæquent; ingeniosior Pallas sua profert Arma, quibus Te omni honore eminentiorem adumbret, splendoresq; Tuos, insonte suo, non connivente palpebra haud videndos, sic saltim in his politis, reflexos, ingenti suo delicio legat; & in conspectu Tuo exarmata, tenuitatem suam Achilleo animo Tuo, pulchriùs muniat, & ornet. Tu enim flos omnium elegantiarum, sub quo res literaria mirè reflorescit, Tu seculi nostri gemma, cenaculum Musarum repræsentans; in Te stat totum Academici senij decus, & candoris idea: Tu corculum Principum, & augusta æstimatio, per quem Magnatum gratiæ in Orbem literarum redundant,

&c summus augescit honos, dum Te inter Togatos Patres vener
ramur, cui purpuræ revelantur, & intimum sinum aperiunt. Eva-
nescit jam gratiosum Mecænatis Nomen, etsi illud Maronis Parthe-
nope, & Venusini Caliope, in publicam revocat lucem; dum Tu Li-
teratorum MARTINVS, gratiarum influentiâ, ipso melior Phœ-
bo, generoso spiritu pectora afflans, canoros facis Vates, & Oraculis,
quæ suavitèr de Tuo prodeunt pectore, imbuis. Non revelo hîc cor-
tinam Illustrium Tuorum Aboriginum, qui in fastigio Turrium Cra-
ciarum Septemtrionis pulchra spectacula fuêre, ne obtentu parvæ pa-
gellæ, splendori Tuo detraham, & Magnos in tenuitatem meam
contrahens, Myrmecidem imitari videar. Fabium tamen hujus Me-
tropoleos, quia Consulem, Parentem Tuum ANDREAM WĘ-
GRZYNOWICZ, præterire non possum, qui & Nomine Tibi
Crucem Sceptrorum præsagijt, & TE Paternis præceptis ita instituit,
ut suo tempore, trium Coronarum unio esses, & oculati Acade-
mici Sceptri, pupilla. Indolem Tuam, ad summa omnia natam, ro-
seo virtutis calle deduxit, & Pater Æneas & Patruus Hector Per-
illustris olim & Admodùm Reverendus Dominus ADALBERTVS
WĘGRZYNOWICZ, Iuris Vtriusq; Doctor, PRÆPO-
SITVS STOBNICENSIS Vir in hoc Archilyceo me-
ritissimus, & togati honoris animosa purpura, Ecclesiæ DEI
lumen immortale, qui cùm infatigabili dextera egenorum miseriam
levaret, viva gloriæ suæ rostra erexit. Alter Perillustris olim &
Admodùm Reverendus Dominus GABRIEL WĘGRZY-
NOWICZ, I.V. Doctor, Protonotarius Apostolicus, Ecclesiarum
Collegiatarum, Tarnoviensis Custos, SS. OO. Canonicus, Præpo-
situs, & Officialis Pilsnensis, Vir de ipsa Themidis lance, ingens sui
pretium seculi, pluribus dignus titulis, quàm quos summi sacraria ho-
noris continent. quorum Tu domestico exemplo incitatus, meritorum
Olympia decurristi. Vivit extra seculum, vera Divi FRANCI-
SCI, ut Franciscus CHRISTI, idea, Germanus Tuus ANTO-
NIVS WĘGRZYNOWICZ, in Ordine Minorum Maximus &
primus, quia bis Provincialis, Ascetarum simul & Musarum Pater,
clavum tenens in Religione, & calamum, ingens scientiarum omnium
ærarium, qui auriflua sepiâ Vineam CHRISTI fecundavit, line-
isq; in luce publica ductis sepivit. Eminet geminum decus, Perillustris
& Admodùm Reverendus Dominus M. ANDREAS, I. V. Doctor
Romanus, Canonicus Sandomiriensis; & Nobilis ac Spectabilis Dnus
STANISLAVS, Consul Crac: FRATRES Tui, Arcades ambo, &
eruditi ocelli, quorum elegantem genium, ipsi sibi honores invident
nen-

Nempe in Domo WĘGRZYNOVIANA; *nil nisi summum, & ad delicias ævi nostri. Jungit huic, sanguinis nexu, splendores suos Infulatum Caput,* Perillustris & Reverendissimus Dominus DOMINICVS LOCHMAN, *I. V. Doctor, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Ecclesiæ B. M. V. in Circulo Cracov: Archipresbyter, Decanus Sandomiriensis, Virtute, dexteritate, meritis nulli secundus, ac Tui solius pulchra mensura. His Tu Nominibus Magnus, at Te ipso Maior, ab ineunte ætate, eos Virtutum & eruditionis dedisti igniculos, qui deinceps in serenum gloriæ meridiem aßurgerent. Noscebaris ex ungue* LEO, *non minùs hunc Stemmate, quàm cordato præferens animo, ut studiorum ardua vinceres, & ad intimos Sapientiæ Delphos penetrares. Ex his geminam referens Lauream, quàm serenè ex Cathedris tonâsti? cùm inter Atticos eloquentiæ alveos, Lampadem Solarem, Divum BONAVENTVRAM accendisti, & aureâ dicendi venâ, Aurifodinam Sãctitatis & Sapientiæ, Divum THOMAM Aquinatem, produxisti. Non sufficiebat hîc tanta ingenij specimina dediße, septem Romuleos petijsti colles, in hac specula spectaculum Orbis, cùm publicè disceptares, Theses oppugnando, Capitolia ipsa expugnaturus, cùm summo honore gentis, videbaris. Ex Sapientia Romana non Palladium, sed ingens eruditionis depositum, simulq; Theologicam Lauream extulisti, ut Patriæ ornamento inferres. Redibas bonis avibus ad natalis soli campum, in quo per singulos Athleticorum operum progreßus, palmas meteres. Non traxisti boni ominis Alitem de sinu Iovis, nec de signis Quirini Aquilam, ut præpete pennâ desiderio Patriæ, Te inferres; quia candore emeritoq; senio, Polonæ æmulus Aquilæ,* Perillustris *olim &* Rndissimus D. PETRVS ORŁOWSKI, I. V. D. *Canonicus Crac: Causarũ* MAŁACHOVIANÆ *Curiæ Auditor, Protonotarius Apostolicus, Præpositus, Infulatus ac Officialis perpetuus Tarnoviensis, Te suis provexit alis. Pupilla illa Aquilina, vidit in Te ardens ingenij jubar, semperq; illud intueri, in delicijs habuit; non demisit palpebram, nec unquam supercilium adduxit, ut lustratum in corde depingeret. Apex ille stellatus, radiusvè intelligentiæ, Cæleste lumen vel ideò vertice geßit, ut quòd probaret, ad astra tolleret: hic Tuæ lampadem adauxit gloriæ, quando Vavelli admovit Coronis. Iuris Tripodem agens, novit arcanum Magni Animi Tui, intra claustra modestiæ sese continentis; hinc meliora quaq; de Te Oracula promens, intimo coronavit amore, ad cordis admisit medullam, Teq; se Alterum eße voluit, quando stallum etiam Tecum divisit, Canonicatûs Cracoviensis Coadjutorem faciendo. Verticem ejus eruditum Pallas sibi vendicavit; at pro vertice*

tice

tice sidus Astraa ipsa ambijt, hoc astro mutari, hoc in cælum abire cupiens. Stant innumera, librantis omnia, sapientiæ ejus documenta; sed hoc potissimum eminet, quod Te ex mille Viris elegerit, cui cor committeret, vivumq; sui, in Te monumentum erigeret: qui ut eum meritis adæquas, ita memori animo foves, dumq; ille sideribus caput intulit Pollux, Tu Castor, pro eo fulges. Nimirùm AQVILA & LEO, ingeniorum Principes decent, stellis rutilant, & inter sidera numerantur, ut Superûm favore, supra communem mortalium sortem, provectos monstrent. Candida gemmarum FASCIA MAŁACHOVII, nil vile in suum admittens nexum, quo Te gratiæ vinculo obstrinxit, post Timantis velum relinquo. Celsissimum DENHOFFII Caput, quod pro Sacris rostris in Cathedræ Crac: ingressu dulci eloquio demulsisti, nisi citò oculos clausisset, volupè Te summis illatum honoribus vidisset. At CAPVT felicitate secundum, sublimi genio primum, CELSISSIMVS PRINCEPS LVBIENIVS, in Te complexus, quidquid alij æstimârunt. Sol hic serenos Religioni accendens dies, quàm pulchra in Te gratiarum parelia pingit, ut per Te Heliconis Academici Phœbum, Musas irradiet, & benefica foveat influentiâ. Summos plausus mereris undiq;, sed hinc vel maximè, quod Magni Principis Ephestio sis, & ad gustum AVREI CAPITIS. Talem Annosa Literarum MATER, ut olim purpureo Juris coronamẽto insignivit, ita nũc Fasces suos Tibi inclinavit, ut Te ipso personata, augustior prodiret. Illatus es ad hoc fastigium, non humeris, sed eruditorum cordibus, amantibus in Te promptum animi robur, & dulces gratiarum ethesias. Vidit Pallas Te Alcidem, Leonis exuvias gestantem, Orbem igitur literarium imposuit, regendum. Novit virtutes regnandis sapientum admovit imperio, ubi non fulmine, nec tridente, sed leni Sceptro, Regnatorem agis. Nôrunt Fasces, delicias suas, redibunt sæpiùs ad Te, vel invadent reluctantem, quos oculo providentiæ decorasti, gemmis operum distinxisti. Necdum elogia Tua tetigi, & me jam ad chelym Musa rapit: proinde cum demissa veneratione à Te discedo, votum appendens, ut numerum Musarum seculis gloriosæ vitæ, impleas, faustusq; regnes Helicone toto, antequam Olympo sidera reddas. Ita precor

Magnificæ, Perillustris & Reverendissimæ

Dominationis,

Humillimus cliens & servus,

OPERIS AUTHOR.

A D

D. JOANNEM CANTIUM,

MAGNUM GRATIJS,
Regni Poloniæ, & Universitatis Studij Generalis Cracoviensis,

PATRONUM,

Summum Jagelonicæ Palladis,

Tutorem & Arbitrum.

ODE VOTIVA.

In qua non illud Palladium, quod fertur in Pessinuntem è Cælo delapsum; neq; ab Asio per Horoscopum, fabrefactum; aut illud quod Romæ in æde Vestæ colebatur, sed desiderata Protectionis desuper, & Laurearum Tutelæ devota mens Candidatorum, supplici voto poscit, Anchæ Sacrum.

LEMMA.

Protege Dive.

DEsinat Martis rabies furentis,
Horridas ferro minitare cædes,
Non crepet frêdens, metuẽda vulgo,
Fulmina belli.

Rebus afflictis, populo gementi,
Gratijs Tutor veniet JOANNES,
CANTIUS fortem revehens Polonam,
Marte repulsam.

Impetu sævo ruat à Riphæis
Montibus stridens Aquilo malorum,
Ut procellosos geminando fluctus,
Obruat Orbem.

A Com-

Expone Clio mentis eburneæ,
Candore fulgens hoc pretium, decus,
Quod tollit, altum ponderando,
Iuppiter appretiatq; virtus.
Armata scutis fortia pectora,
Superba cultu, cedite mentibus;
Vincat potentior Minervæ,
Vis acie superans furorem
Cæcum Gradivi; cuncta premat licèt
Armis, in uno fortior eminet,
Docto Virorum Ternione,
Per titulos memoresq; fastos.
Quorum sonoris fama jugalibus,
Consignat astris inclyta Nomina,
Lechæa Pallas Literis quæ
Magna fovet, sonat æviternæ.
Debetur ingens laudis adorea,
MARTINE GRVCKI prima Tibi; nites
Præses Sophorum Purpurâ, qui
Dotibus ingenij potens, &
Feliciter tot mentis acumine,
Nodos resolvens, vectus in essedo
Famæ perennis, quòd triumphas,
Hoc Superi dederunt faventes.
Decus Palæstræ, quem Iageloneæ
Musæ loquuntur, continuus labor,
Commendat altiori honori,
Nostra Camæna sonat colendum.
SARNECKI in augem promovet indoles,
Sublimiorem quem generosior,
Scientijs exculta, morum,
Cûi gravitas, probitasq; laus est.
Concernit & Te, debita portio
Laudis, probatum tot meritis Virum,
SCHVLTZ Nominis decus, Coronam,
Vrbs Cracio lare cui fovebat.
Revolvo Sacri vasta negotia;
Laboris in Te; lux Academicis

Ful-

Fulges in umbris, recti honesti,
Iustitiæq; tenax in actis.
Honore docto, qui modò fulgidæ
Gemmæ nitetis, Lumina mentium,
Pensare vobis, gratitudo,
Imperat, obsequiô fideli.
Robur probâstis qui benè virium,
Quid ferre crescens ingenium valet,
Examinis praxi patet quod,
Indice judicij staterâ.
Tantæ rependant munera gratiæ;
Cæli precamur: gemmea tempora
Vivatis, annos aureos &
Nestoreos, decus inclytorum,
Fulgens perennet gloria Nominum;
Divi coronent vota favoribus,
Successibus prosperrimis ut
Tempus & annus eat vovemus.

INSIGNIA
Eruditæ Palladis,
I. V. & A. R. D. CASIMIRO CHOCHMANSKI PRESBYTERO.
Sacrâ Authoritate Apostolicâ NOTARIO.

Scutum Palladis maximum, adversus injurias fortunæ propugnaculum. Symbolum politissima, æquè clarissimâ superficie, repræsentantis mentis sinceram veritatem, & statum innocentis vitæ.

L E M M A.
Victrix fortunæ Sapientia.

PRima Tuam florens præcingit Laurea frontem,
Dotibus ingenij confertur primus honor, laus;
CHOCHMANSKI, Charites Musis junctæ celebrāt, &

 Nomen

Nomen in alta ferunt: Themis associata favore,
Altiùs extollit, majores spondet Honores
Augur Apollo, fatetur nullum Numen abesse,
In Te, quem placuisse Viris magnis, Superisq;,
Constat, tot meritis; Iuris-Prudentia cunctos
Conatus, doctosq; labores appretiando
Æstimat, atq; bonam spem de Te concipit; optans,
Altiùs ut surgant dotes animi, ingeniiq;:
Vltima Cælituum terras Astræa relinquens,
In culto posuit CASIMIRI pectore sedem;
Gratulor hanc, quæ prima, Tibi in certamine docto,
Laurea confertur, vibrataq; Pallados arma:
Quod dedit alma Parens, decus, ac insigne perennet.

II. V. D. PETRO ROHACZEWSKI.

Angves scutum circumdantes, Gentilitiæ soleæ mutuo complexu, & summæ prudentiæ symbolum.

L E M M A.

Nobilitas Virtus.

Musa consignat celebrando Nomen
Hoc, ROHACZEWSKI, Tibi contulit quod
Inclytum, virtus, genus, & probata
Ingenij vis,
Æstimans in Te pretium Minervæ,
Indolem, dotes animi serent,
Et labores in studijs, Lechæa,
Pallas honore.
Eruditorum decus & coronam
Conferens, spondet meliora voto:
Ac ebur mentis niveum ominatur
Augur Apollo.
Pulchra Te morum decorat venustas,
Flore, qui, primo docilis juventa
Emines, praconia fama docto
Insonat Orbi.

Gemina

Gemmeum, nexu gemino tenentes
Pallados doctæ Clypeum colubri,
Quàm valens prudentia rectè agendis,
Eminet in Te,
Exprimunt. Ergo vigor eruditæ
Mentis, Hyblæis opibus decoræ
Æther ut frondis vigeat decoris
Laurea Gemmis.

IV. V. D. STANISLAO, JOANNI CANTIO ZIOLKOWSKI.

Acutißima Vulcaniæ securis acies, qua discissum Caput Iovis Armatam Palladem edidit.

L E M M A.

Labor omnia vincit.

A Superis veniant, almæ quòd dona Minervæ,
ZIOŁKOWSKI testis Mulciber arma tenens,
Fortia contendit, manibus vibrata bipennis
Imprimit & cerebro, vulnera mucro Iovis
Pallas adest felix, armataque nascitur illo
Vulnere, cum ferro surgit honore labor
Collucent hæc arma, Tuæ, tot Palladianis
Artibus, excultæ mentis, & ingenij.
Dixero Vulcanum, tanto præcellis honore,
Quo labor est ferro, durior ipse magis;
Ille Deam, summi produxit mente Tonantis,
Quidni Tu generas mente, labore Deam?
Ergo, Te celebrent multorum carmina Vatum,
Hæc Tibi quam prendis, gloria Laurus erit.
Vive coronatus, multis felicior annis,
Musa vovens pangit, Pallas honore colit.

V. V. D. SIMONI SKOWRONSKI.

Mentis splendor, & Ars divinandi, quam à Pallade Tiresias obtinuit, ut notat Callimachus describens lavacra Palladis.

LEMMA.

Doctis fulget in umbris.

CUltò Pierides carminis entheo,
Plaudentes resonent, Te modulamine,
SKOWRONSKI, celebrent dulcisonâ chely.
Præses Pegasidum, melos
Affundat genijs nobilioribus,
Qui conferre volunt munera gloriæ,
Majoriq; novæ laudis adoreâ,
Phæbus tollat in æthera.
Nomen condecorans dotibus inclytis,
Præstans ingenium dona Scientiæ,
Lumen quod Gracijs fulget in artibus,
Auget Pallas Honoribus.
Magnis continuò parta laboribus
Debetur meritò laus titulis, honos
Major: tum niveæ mentis ebur tuæ
Tot conatibus arduis;
Quod fulget nitido sidere clariùs.
Ergo, perge bonis alitibus, Dea
Quò Te fronde vocat, tum labor improbus,
Vivas celsus adoreis.

VI. V. D. CASIMIRO JUGIEWICZ,

Gorgonis Caput in pectore Deæ demonstrans, quia nemo contra Sapientiam, ceu summam Solis claritatem intendere oculos impunè potest.

LEMMA.

Fato prudentia major.

SVnt quos æthereis arcibus intulit,
Virtus, tot meritis totq; laboribus,
Surgens Herculeis, palmaq; nobilis

Heros

Heroas Superis magno animo pares,
Clarus sidereis fulget honoribus:
In sublime tulit quem Sapientia,
Est exinde Tibi portio gloriæ,
IVGIEWICZ genio nobilior cui,
Mens culta ingenuis moribus Indoles
Quem tollit niveis fama jugalibus
Evadas Sapiens macte laboribus
Nixus continuis, munere Te suo,
Pallas condecorat, Gorgonis ut caput
Obvertens ferias noxia quæ Tuo,
Obstant ingenio, vince potentiùs.

VII. V. D. FRANCISCO ANTONIO JEZOWSKI,

Currus Palladis adversus Gigantes pugnantis falcatus, Symbolum docti certaminis.

LEMMA.

Evehit ad Superos.

QUà vehitur Victor felix post mille triumphos;
Post horrendi prælia Martis.
Palladis hoc miles studij cum proterit hostes
Curru faustus ovare meretur.
Sæpe Sago celebris post cædes sanguine tinctus,
Arma Togæ, Victoria cedunt.
Hac Arpinates Augustos vexit in Urbem,
Sceptrigeram non impare laude.
Te vehat hic currus: gessisti prælia fortis,
IEZOWSKI *non cedere suetus.*
Cæsus mente Tuâ cecidit discentibus hostis,
Queis pugnaret viribus impar.
Gemmea signa tulit victoria parta labore,
Palladium sat nobile plaustrum.
Gratulor hoc decus & sudantis præmia frontis,
Et connexam fronde Coronam.

VIII. V. D. JOSEPHO FRANCISCO JASTRZĘBSKI,

Galea Palladis Laureata & crista Symbolum Heroicæ fortitudinis ac ornamenti.

L E M M A.

Heròëm armat & ornat.

ATtingens Helicon sidera vertice,
Parnassusq; sacer Thespiadum choro
Celso colle Cytheron,
Quà surgunt jugaq; Aönum!
Hæmi Laurigeri scande cacumina,
Doctarum ut referas præmia frontium,
Musæ quæ Tibi amicæ,
Nectunt serta virentia.
Defertur meritis debita laus Tuis.
Et merces potior Laurea florida,
Virtus quam Tua poscit,
Et vis promptior ingenii.
Pallas condecorat Te Galeâ suum
Heroëm tremit ut crista superbiens,
Summo vertice Laurus,
Extollit decus hoc Tuum.
Ergo, quam meruit laudis adorea,
IOSEPHO veniat prospera desuper,
Sors doctorum ut honore,
Crescat; Musa canit, vovet.

IX. V.D. JOANNI STANISLAO RYPINSKI,

Olea, cujus Pallas inventrix, & quam Athenienses Epidaurijs ex Oraculo Iovis concesserant cædere. Symbolum lucubrationis & Olei, quo cuncti Scientijs & artibus intenti indigent.

L E M M A.

Perenni floret honore.

IN decus florens Olea Minervæ,
Frons Tibi cessit nitidum RYPINSKI,

Qua

Quâ coronatur caput eruditum,
Ingeniumq;
Fulget & constat pretium laborum;
Fronde qua Phœbus decus omne mentis,
Auget, instillatq; Oleum Cleanthis,
Docta Minerva.
Fronde Lechæi nitet Academi
Docta lux, quantâ videt Universus
Orbis, hâc robur vigil ad labores
Palladis heros.
Explicas dotes valeas in cunctis,
Artibus quantum, Dea conferendo,
Arboris gemmas vovet ut Corona
Floreat ex his.
Quem tulit Daphne Tibi splendor iste:
Fulgeat compar meritis, Camænæ
Consonant, votum geminando honores,
Spondet Apollo.

X. V. D. FRANCISCO ADAMOWSKI,

Gallus cassidi insidens, vel ideò pugnax Symbolum docti certaminis & vigilantiæ.

L E M M A.

Legitimè certantibus Corona.

QVà patent terræ Polus igneus tum
Fulget astrorum decus, erudita
Maximis virtus pretijs relucens,
Surgere suevit.
Altiùs surgit tamen illa quando
Iungitur fato in melius potenti
Literis nexu sociata docto
Plus nitet ardens.
Eminet celsò renitens honore
Indoles mentem generosa claram,
In Te ADAMOWSKI soboles Deorum,
Prodit & ornat.

C 2 Moribus

Moribus comptis facit hæc decorum,
Arduos calles studijs Sophorum
Fortis, ut mentis superes capacis
Passibûs heros.

Ecce prælüdit vigil ad triumphum;
Auream Gallus meritis coronam,
Spondet insignes Tibi destinat quos
Pallas honores.

XI. V. D. ADALBERTO CASIMIRO WIECZORKIEWICZ,

Noctua Palladis Sacra, Symbolum Sapientiæ, ubiq; etiam in umbris cuncta videntis.

L E M M A.

In umbris lumen acutius.

PAllados & Gracij quò clara oracula Phæbi,
Pierides & noctua ducunt,
In doctis umbris WIECZORKIEWICZ *pede fausto,*
Numina progrediare, secundent.
Adsint cuncta coronantes Tua vota favore,
Auspicijs ducant ad honores.
Eximij decus ingenij consignat Apollo,
Et Cælestia munera confert.
Pallas amans, niveum pectus submissio format,
Moribus ingenuis; placeas hoc
Cætûi doctorum: plaudunt celebrando Camænæ
Nomen judicio Sapientûm.
Censeris quod laude pari, tum dignus honore,
Pallados hac insignia monstrant,
Quanta Tua valeat culta solertia mentis
Hanc ostendit lux Academi.

XII. V.D.

XII. V. D. JOSEPHO de GONDRECOUR.

Hasta & jaculum Palladis quo Pallantem interfecit Gigantem pugnans pro Iove; symbolum doctæ fortitudinis.

L E M M A.

Fato juncta potenti.

DOctrina quantam promovet insitam
Mentis Tuæ vim, quam sapientia
Exornat, artibus coronans;
Nomen & æthereos in Orbes,
Attollit, alto culmine gloriæ,
Et auspicato sidereum jubar
Splendore dum IOSEPH refulges,
Luce tuos geminat nitores.
Quod eruditi carminis Entheo
Svadâ triumphes Aonides canunt,
Fontesq; Cyrrheos sacri quod
Transieris juga cella Pindi.
Adusq; palmas Herculis extero,
In sole clarum tendere in ardua,
Insigne doctæ quem recenset,
Frons, jaculumque, Minerva quod dat
Ergo, sereno jam Tibi rideat
Apollo vultu principium Tuæ
Lucis coronet pulchro honore,
Lætus, & arma Deæ tegant Te.

XIII. V. D. ADALBERTO TYBURCIO.

Numerus septenarius Palladi à Pythagoricis consecratus symbolum universæ perfectionis in scientijs.

L E M M A.

Ex hoc fama perennis erit.

DUlce Tibi quod sit doctâ proludere arena
In Stoa ingenio toties meruisse coronam,

Quá

Quâ non laude feret nomen modo fama perennis,
Moribus ingenuus & suadâ culte TIBURCI:
Palmiferum invitat Pallas pretijs animorum
In collem Cracium, docto quem lustrat Apollo
Lumine, quem tollit vertex Heliconis amænus
In studiis, promptum ad quævis majora laborum,
Tot molimina, conatus ac ardua cuncta
Vt superes fortissimus armis Palladianis,
Eloquiô, cathedrâq; Sophum sis Victor ubiq;,
Augur Apollo sonat junctum cum Pallade votum.
Alma Parens Studij, Doctorum fons & origo,
Ingenium librando Tuum, spem concipit, optat,
Vt numero signata perennet laurea florens.

III. V. D. ADALBERTO DOMINICO ANDLIKIEWICZ, Crac:
Primæ Laureæ Candidato
AVTHORI OPERIS,
In vim mutuo-reciproci affectûs & gratulatorij applausûs.
V. & A. R. D. CASIMIRUS CHOCHMANSKI,
Præsentat & offert Concentu Lyrico
Aureum imbrem quem perhibent Iovem Rhodijs indulsisse nascente Pallade: Symbolum gratiarum.

L E M M A.
Divi Vota coronent.

Dilecta Phæbo quod Tibi gratia
Ex arce venit siderea Iubens
Congratulor, grates rependens;
Laurea, noster honos Tuâ quòd
Musâ triumphet Palladianaq;
Nunc arma nobis distribuis Chely,
Vates per oras eruditas,
Dulcisonâ referens metris, &
Plectris recenses nomina laudibus.
Divi rependant hoc opus aureo

Vt im-

Vt imbre multo, gratiarum,
Noster amor vovet omniumq;
Id gratitudo candida personat
Palmis, Coronis mille caput Tuum
Vt vernet insigni Minervæ
Ingenij decus elegantis.
Consignat inter Pegasidum Sacros
Fontes proborum Pallas honoribus
Dignatur ANDLIKIEWICZ Te,
Poscit apex sobolemq; caram.
Vrbs claudit inter limina Regiæ
Solis nitentis, quô Sapientia
Relucet affulgens in umbris,
Publica quam facies remonstrat.
Ergo perenna, Pierides sonat
Doctæ Minervæ, qui Patrium decus
Soliq; natalis quadratum
Indole fers genium modestâ.
Tu laureati verticis hoc decus
Victor mereris; quod licuit Tibi
Vicisse quidquid gratiarum
Nostra Tibi posuere vota,
Gratiq; cordis, solvere munera.
Hic ergo Palmæ cedat honos Tuæ
Cessisse quod nobis dedisti
Omne Tibi decus in triumphum.

E I D E M

V. D. ADALBERTO DOMINICO
ANDLIKIEWICZ,
Primæ Laureæ Candidato,
AVTHORI OPERIS,
V. D. ADALBERTUS CASIMIRUS
WIECZORKIEWICZ,
Ejusdem Laureæ Candidatus,
in vim mutui affectûs offert
Caput Iovis, ex quo nata fertur prosilijsse Pallas.


LEM-

LEMMA.

Sola hîc Sapientia regnat.

Palladis edoctæ tribuens Insignia nobis,
Censeris cunctis æquior esse Cato.
Congrua nempe Viris donâsti præmia Vates
ANDLIKIEVI, cùm dulcia vota canis.
Hoc potuit pulchrè prudens discernere sensus
Pallas ovans cujus possidet ipsa Caput.
Unde suas monstrans mundo Sapientia vires,
Excelsi sobolem Te putat esse Iovis.
Indolis egregiæ cùm splendes dotibus, unus
Plura capis, multis quàm Dea docta tulit.
A Te Suada fluit superanti littora rivo
Ut Cyneas, si sint mœnia, corda rapis.
Stoa Tibi plaudit, cunctus cœtusq; Virorum,
Qui ingeniô nodos scindis, ut ense, Tuô.
Si mores spectare lubet, virtutibus altis
Orbe nitens, æquas Sidera clara Poli.
Hæ Magnis placuisse Viris fecêre, satisq;
Est documentorum, cùm Tua vota placent
OSLINIO Magno Doctori, tumq; Patrono,
Et Mecænati semper ubiq; Tuo.
Palladias igitur cum Lauru, sume Coronas,
Quæ pridem menti succubuêre Tuæ.
Et cùm fronde Caput vincis, & sæcula vincas
Incolumis, sapiens, faustus, honore potens.

PERMISSU
Magnifici Domini
RECTORIS.



Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. [illegible] ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. *(fuit 12. huius)* 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. *(fuit 16. Maij)* ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. *(fuit 18. Maij)* 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. *(fuit 18. Maij)* CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. *(fuit 25. Maij.)* CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. *(fuit 25. Maij)* [illegible] CA. Vesp. à Cap. [illegible]

28 [illegible] SS. Mart [illegible]